

V. Homo es peccatorum onere gravatus, tot meritis gehennas, quot peccata mortalia commisisti. Si enim uni mortali debetur infernus, ex omnium DD. sententia, quid debebitur sceleribus XXX. vel XL. nonne totidem inferni? Quemadmodum ergo Nabuchodonosor, Dan. III. cum audivit tres pueros crescere semper in constantia fidei, et ipse crevit iracundia, jussitque fornacem succendi in septuplum, ita ut ascenderet flamma cubitis XLIX. quæ prius ad VII. dumtaxat ascendebat: pari modo quo plura mortifera peccata tua addideris, eo plures tibi addentur inferni, seu totidem gradibus magis et magis accendetur inferni. Id insinuat Isaias c. XXXIII. ubi a clade Sennacherib, quæ combustis nocte 185000. milites, sermonem vertit ad alios peccatores, ut illorum exemplo et incendio temporalis respiscant et caveant sibi ab igne et incendiis sempiternis. Ait ergo: *Quis poterit ex vobis habitare cum igne devorante? Quis habitabit cum ardoribus sempiternis?* Cur ait, cum igne devorante? Quia nimirum vehementissimus et voracissimus ignis erit: multo magis quam ille, qui 185000. una nocte devora vit. Et cur non ait cum ardore, sed cum ardoribus? Quia scilicet peccatori, quo plura intulerit peccata mortifera, eo plures destinati sunt ardores et inferni.

Vide jam si vel unicum incendium tibi paratum scires, quid sentiret? Qua in angustia esses? Quid non molireris, quid non promitteres, ut evadere posses? Certe magnus ille debitor decem millium talentorum nihil non promisit se facturum, etiam ultra vires suas, ut ne venumdaretur cum suis, et tota cum substantia mergeretur: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi*, ait. Sed qui reddet tantam summam? Nimirum ad omnia se paratum exhibebat usque eo ad laborandum, donec sanguis ex unguibus effueret: ad omnia pericula, ad omnes molestias devorandas. Idem fac tu peccator et dic Deo: Quod si nec sic reddere quivero, veniam rogabo, ad pedes tuos jacebo; *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo*: in feriis natalitiis accedam ad pedes sacerdotis et lacrymis delebo Peccata mea: interim *Patientiam habe in me, etc.*

CONCIO II.

MOTIVA CONTRITIONIS, DESUMPTA EX PERSONA CHRISTI OFFENSA.

- I. Cogitet peccator quantum Dominum offenderit. —
- II. Quod agnum innocentissimum offenderit. — III. Quod suum judicem. — IV. Quod sponsum suum offenderit.

THEMA.

Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, Joan. I.

Contingit Christo Salvatori nostro heu sæpius id, quod contigit Hebræorum duci Josue, qui et ipse salvatoris nomen et typum gessit. Venit is in terram promissam, cum Hebræis ingressurus civitatem Jericho, Jos. cap. VI. verum undique clausam, timore filiorum Israel invenit. Igitur Dei mandato constituit sacerdotes qui circumirent urbem et simul tubas inflarent. Factum ut imperatum, et ad sonitum tubarum corruerunt muri, cepitque urbem Josue. Cives Ierichunti peccatores sunt, qui Christo Josue ac Salvatori ad se ingredi, hoc imprimis tempore, cupienti, portas cordis peccatis oclusas tenent per impenitentiam. Quid igitur Christus? Jubet sacerdotes undique tubas inflare, et portas peccatorum murosque dejicere, quo introitus ipsi paretur. Hinc per adventum sæpius auditur Joannes ille præco Christi constanter intonans: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*, quasi dicat: *Aperite portas Christo Salvatori vestro, quia jam adest in medio vestrum, ingredi ad vos cupiens. Superest ergo ut ego quoque tubam, meam inflem et partes meas agam. At quæ illa tuba, qua muros peccatorum lapideos subruemus? Subministrat eam Joannes in hodierno evangelio, extollens vocem ad turbam et clamans: Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Hunc ergo, quem ipsi nesciunt, nunc eis demonstrabo.*

I. Nescitis, o miseri peccatores, esse Deum et Dominum vestrum, summæ majestatis et potentiam, cujus iram et indignationem in vos provocastis. Dic ergo illis Joannes, qualis et quantus est? *Hic est, inquit, cujus non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamentorum ejus.* Quasi diceret: Indignus sum, ut inter infima ejus mancipia sim. Quid? Nescis Joannes te magnum coram Domino et plusquam prophetam? Nescis te præcursorem et baptistam Domini? Nescis te angelum esse, et quidem Christi testimonio? Scio hæc, dicet, sed scio etiam illum, qui de cælo venit, adeo super omnes esse, ut ego et alii nihil simus. Quod vilius officium, quam induere et extrahere domino calceos? Hoc tamen munere se indignum clamat, neque ait se indignum, qui calceos ei liget, quando sunt mundi et jam purgati, sed qui exuat illos, vel corrigiam solvendo, quando luto sunt obducti: neque qui stans agat, sed jacens et procumbens. Certe nos, si Joannes præsens esset, omnes hoc diceremus ipsi Joanni, quod ipse dixit Christo. Quanta ergo majestas ipsius Christi est? Quod si Joannes

illum vel in minimo offensisset, quid dicturus fuisset? Num adrepere ad ipsum ausus fuisset? Minime gentium. Quem ergo sanctissimus iste juvenis tangere vel in calceo non audet, quomodo vos peccatores ausi estis offendere, spernere, ridere, persequi, venumdare? Scimus capitale esse regem vel leviter offendere, quia peccati enormitas crescit ex magnitudine personæ offensæ. Tale apud Persas erat, regem adire nisi quis vocatus esset (ideo spiculatores regem circumstant, ut hujusmodi reum acturum plecteretur: Esther IV. et apud Josephum eo loco, regis pellicem aspiceret vel conjugem este Diodoro libro XLI. feram in venatione ante ipsum telo petere, auctore Xenophonte et Plutarcho, in sella regis sedere, Diodor. auctore lib. XVII. ejusdem vestem laceram licet ac donatam induere, apud Plutarchum in Artaxerxe: manibus extra manicas exertis regi occurrere, apud Xenophontem lib. II. Cyri pædag. Hæc igitur capitalia sint, in hominem levissima delicta: quid erit in Deum gravissime delinquere, ejusque mandata justissima contemnere? Magnus etiam coram Deo fuit Isaias, hic tamen quando vidit majestatem Dei, et coram eo Seraphim velantes facies et pedes suos, quasi indignos, qui aspirent vultum illius, cepit venire in cognitionem enormitatis peccati, adeoque etiam sui, licet alioquin exigui, idque deplorare dicens: *Væ mihi, quia tacui*, (quia scilicet peccata populi non insectatus sum, prout debui) *quia vir pollutus labiis ego sum, etc. quia Regem Dominum exercituum vidi oculis meis*, Isa. V. Non grande id peccatum erat; occurrit igitur illud adeo deplorat Quia aspiciens puritatem, sanctitatem et majestatem divinam quam nec Seraphini audebant intueri, deprehendit quam impurus et fædus esse coram Deo. Ecce sub Christo, *Curvantur, qui portant orbem*, (Job. IX.) pre cibis et sanctitate sua: et peccator non curvabitur? Non procidat ad petendam veniam?

II. Nescitis agnum pro vobis immolatum, prorsus innocentissimum, quem vos offenditis. Hunc vobis agnoscendum adeoque redamandum proponit etiam præcursor Christi (ut immediate subjicit hodierno e evangelio Joannes evangelista) quando scilicet ambulans Christum monstravit suis discipulis, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Agnum Dei appellat, quia agni, i. e. humilis, pauperis, inermis hominis formam induens, se obtulit in victimam Deo Patri pro salute generis humani. Hic est agnus ille seu aries, qui vepribus adhærens, Isaaco immolando se substituit et pro ipso immolatus est ab Abrahamo, Gen. XXII. Isaac genus humanum pro peccatis suis mac-tandum significat, aries Christum in ejus locum

immolatum, ut docet S. Augustin. lib. XVI. de civitate, c. XXXII. Innocentissimus igitur pro nocentissimis oblatum est: et fierine poterat, ut eum in re aliqua homines offenderent? Quid enim non deberes illi, qui, dum in te vibratur ensis, suum pro te caput ictui subjeceret? Perpendite peccatores, quantum sit hoc beneficium. Venit hostilis exercitus et arcissime cingit nostram civitatem, nec inde vult recedere, donec tradantur ei cives ad interne-cionem, a quibus est offensus. Si jam aliquis innocens se pro tuenda civitate hostium furori objiceret, ut eorum iracundiam suo cruore extingueret, quid non deberent ei cives universi? Quis non obstrictissimum se ei fateretur? Hac de causa S. Franciscus adeo diligebat agnos, ut cum ad macellum ducerentur, sæpe eos redimeret; cumque aliquando agnellum mordicus apprehensum a porca necari cerneret, porcam malediceret, (unde tabe periit) quia scilicet agnellus Christum pro nobis immolatum in mentem ei revocabat. Jam ergo quomodo non dolebunt peccatores agnum illum Dei pro se occisum, a se graviter offensum, et velut porci dentibus fœde esse laceratum.

III. Nescitis esse vestrum judicem, eumque severissimum et æquissimum. Hoc idem Joannes in sua concione Judæis inculcavit, dicens: *Cujus ventilabrum in manu sua: et permundabit aream suam; et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*, Matth. III. Videns Joannes parum moveri Judæos ad pœnitentiam et fidem hunc fortio-rem malleum adhibet. Quis enim non compungatur, cum audit statutum esse diem, in quo Christus Ecclesiam suam expurgabit velut aream, in qua malos velut paleas leves, viles, inanes, inutiles separabit a tritico, h. e. ab electis, ventilabro judicii: et paleas quidem projiciet in ignem inextinguibilem, qui in æternum eos uret, nec tamen comburet? Rursum cum audit hoc ventilabrum jam in manu ejus agitari: et quotidie hoc officium tremendi judicis exercere? Cogitet ergo peccator quisque; quid si ego palea sim? Certe me virtutibus inanem, ad peccandum facilem video et pronum, hominibus non modo inutilem, sed etiam perniciosum. Igitur aliquando ventilandus in judicio sum? Et quid si hodie? Quid si cras? Non igitur separandus ab electis? Nonne in ignem perpetuum projiciendus? Et quomodo habitare poterò cum ardoribus sempiternis? Quid enim si in me sententia feretur, ut in rogum dumtaxat transitorium vel calciam fornacem injiceret? Quis mihi foret animus? Quantus horror? Quantis lacrymis fatigarem judicem et amicos, ut hoc periculum evaderem? Quid emendationis non promitterem? At hoc supplicium nihil

est respectu æterni : neque iudex noster procul est : jam ventilabrum manu tenet, jam sententiam scribit. Ergo incipiam nunc extinguere lacrymis ignem illum, et conciliare mihi iudicem meum. Quis enim audiens regem aliquem venire contra se cum duplo majori exercitu, cui nullo pacto resistere queat, non statim legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt? Luc. XIV. Rex iste Christus iudex est, inquit S. Greg. hom. XXXVII. qui cum ingenti exercitu examinis omnium nostrarum cogitationum, verborum, operum, omissionum, (quorum omnium nos vix mediam partem perspectam habemus, adeoque purgare poterimus aut defendere) nos adorietur, cui, *Si voluerit homo contendere cum eo, non respondebit unum pro mille*, ait Job. c. IX. Quid igitur superest, nisi ut mittens ei lacrymas, preces, sacrificia, elemosynas, rogem ea, quæ pacis sunt? Ita fratres Josephi, cum viderunt, eum principem seque ipsi subjectos, ejus gratia vivere, quem olim adeo oderant et vendiderant: ad preces et lacrymas fugerunt. Viderunt enim sceptrum in manu ejus quasi ventilabrum et dixerunt: *Oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc*. Et proni adorantes in terra dixerunt: *Servi tui sumus*, Gen. L addit Philo lib. de Joseph; *cum uxoribus ac liberis supplices petierunt veniam*. Viderunt eum iudicem suum, cujus gratia jam viverent, se vero velut paleas, mortis reos ob eundem graviter offensum, unde non audebant se appellare ejus fratres, servos tantum dicebant. Quid ergo facient peccatores coram Deo iudice? Hic enim licet sit frater noster tamen et iudex et rex noster est, nosque servi ejus. Eo pertinet, quod Heli insinuavit prævaricantibus filiis suis: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* I. Reg. II. Qui in ipsum iudicem suum peccavit, quem patronum causæ suæ inveniet?

IV. Nescitis denique eum esse sponsum vestrum in quem graviter deliquistis. Dicat id Joannes. Hic cum quærentur ejus discipuli, quod eo relicto omnes ad Christum venirent, dixit: *Qui habet sponsam, sponsus est*. loquens de Christo, Joan. III. quasi diceret: Quid mirum si me relicto omnes ad ipsum veniant? Ipse enim eorum sponsus est, non ego. Despondit Deus ergo Pater Filio suo Ecclesiam, adeoque omnium credentium animas. Sed quid agunt peccatores? Christo sponso abducunt sponsam, suas saltem animas, si non etiam alias, pravis nimirum exemplis, monitis aut imperiis: sponsam illam, quam sibi de cælo in terram descendens quæsivit, tot laboribus despondit, suo sanguine emit atque abluit abducunt, inquam, et inimico ejus pessimo, dæmoni substernunt. Considerate quid, exprobra-

rit Nathan Davidi, postquam is Uriæ conjugem dilectam abstulerat. Pauper quidam habebat oviculam unam, quam emit et nutrit. Ea ipsi erat sicut filia, de manu ejus bibens et comedens, et in sinu ejus dormiens. Venit autem dives, et abstulit illi ovem atque mactavit ac peregrino absumendam apposuit. Quid ad hæc David? *Vivit Dominus*, inquit, *quia filius mortis est vir, qui fecit hoc*. Et Nathan: *Tu es ille vir*, II. Reg. I. Et quid aliud quisvis peccator facit? Animam suam, quam Christus sibi emit sanguine suo, nutrit sacra Eucharistia, fovet in gremio gratiæ suæ velut filiam; hanc ipsi auferit, et occidit per peccatum, et peregrino Dæmoni tradit absorbendam. Hæcine non indignum? Non deplorandum tibi? Nonne filius mortis es, mille mortes meritis? Sed induamus alteri vestem tuam, quod facit Nathan David. Quid si tibi alius dilectissimam tuam filiam aut conjugem raperet, constupraret vel occideret? Quam tu in illum sententiam ferres? Tu hoc Christo fecisti et te reum non agnoscis, nec deploras? Vide brutum animal. In vita S. Norberti episc. Magdeb. narratur ejus fratres aliquando foris deprehendisse lupum, qui ceperat capreolum, et accubans depascebat. Ii clamoribus abacto rapuerunt capreolum et tulerunt domum. Lupus insequitur et præ foribus monasterii sedens, querulus quasi repetebat prædam suam. Auditis ab incolis et clamoribus objugatus non se movet, sed canis instar domestici, reflexo capite prædam quasi precabundus expectat. Nuntiatum id S. Norberto, et quo pacto spoliū ei ereptum esset a fratribus, qui idcirco cum timore veniam petebant. Jussit igitur sanctus capreolum ei restitui, dicens: non debere eum sua spoliari præda ab iis, qui eam non ceperunt. Qua accepta lupus mox repetiit silvam, nemine prorsus læso. Cur putatis hoc a Deo inditum fuisse huic feræ, ut venationis suæ fructum tali modo repeteret, nisi ut disceremus indignum plane esse alterum spoliare eo, quod sibi suo sudore peperit? Ergo bestia lamentatur ob prædam sibi ereptam, quam suo labore sibi quæsivit, ab iis, qui non ceperunt eam; et Christus non queretur ob ereptam sibi animam? Non repetet eandem? Tu vero non timebis, nec veniam postulabis? Sane queritur Christus hac de re Ps. XLIX. dicens: *Pretium meum cogitaverunt repellere; cucurri in siti, q. d. prædam, quam cum siti et cursu tandem persecutus sum, conantur mihi eripere*. Stat ille ad ostium cordis tui querulus et pulsat (Apoc. III.) ac repetit animam tuam, imo vero suam. Non eam ipsi restitues? Tu perditionem tuam non dolebis, nec veniam supplex petes? Ergo aperi sponso tuo, et redde ei ovem sponsam et civitatem suam. Si quis enim

aperuit mihi, ait, intrabo ad eum et cenabo cum eo et ipse mecum.

CONCIO III.

QUI POTISSIMUM HOSTES IN CONFESIONE DEBELLANDI. Hostes confessionis iidem qui Hebræorum in itinere ad terram promissionis. — I. Pharaō, seu affectus peccandi. — II. Amalec, devorans seu tacens ali-quod peccatum. — III. Edom, accusator aliorum. — IV. — Chanaanæus quærens sibi confessarium inutilem. — V. Sehon, examinador conscientia.

THEMA.

Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini. Joan. I.

Nostis, auditores, filios Israel de Ægypto ejusque servitute exeuntes, ut in terram sibi promissam, lacte et melle manantem pervenirent, per desertum ire, intereaque cum non paucis hostibus conflagrare debuisset, aut eos declinare. Persecutus est eos Pharaō usque in desertum et ad mare rubrum, ut retraheret in servitutum. Post transitum maris opposuit se rex Amalec, deinde rex Edom, postea rex Chanaanæus Arad, post hunc Sehon rex Amorrhæorum, denique Og rex Basan, quosque pervenirent ad Jordanem et ingressum Palæstinæ. Pergimus et nos per hos dies ad terram lacte et melle manantem: in Bethlehem videlicet ad Salvatorem nostrum, in domum panis sacrae Eucharistia, melle suavioris. Verum prius nobis solitudo transeunda est. Quænam vero illa? Demonstrat Joannes in hod. evang. *Dirigite viam Domini* i. e. penitentiam agite, ut paulo ante explicuit. Eam vero consistere in confessione ex eo patet, quod ipse baptizaret Judæos ad se undique venientes et *Confitentem peccata sua*, ut habet Marc. c. I. Confessio hæc quasi solitudo est, quia soli fit confessario in conscientia arcano. At vero non desunt hostes, qui in hac via se nobis opponunt. Insequitur Pharaō, opponit se Amalec-Edom, Chanaanæus, Sehon et Og. Cum his pugandum est prius, quam bono terræ promissæ degustemus. Nunc ergo cum quinque prioribus decertemus, sextum velut omnium fortissimum post octiduum aggrediemur.

I. Est Pharaō rex Ægypti, qui initio quidem nulla ratione dimittere Hebræos, postea dimissos vi retrahere voluit, insecutus usque ad mare rubrum, Exod. XIV. Quis vero hic Pharaō nisi affectus peccandi, qui non raro insequitur confidentes, ut quasi inviti ac coacti veniant ad confessionem, sine proposito emendationis, quemadmodum et Hebræi, qui viso adventante Pharaone clamaverunt ad Moysen: *Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto: Recede a nobis ut serviamus Ægyptiis? Multo enim melius erat servire eis, quam mori in solitudine.*

Sequitur hic affectus plurimos, qui non ex animo et spiritu bono, sed profano, ob metum et instantiam superiorum, vel ne videantur aliis pejores, etc. confitentur; interim Ægyptum cogitant, et velut canis cum catena a confessione discedunt! Quare per catenam illam affectus mali ad servitutem pristinam facile retrahuntur, viso iterum Pharaone, Venere, Bacco, mammona vel altera creatura, cui prius adhæserunt: nihilo constantiores, quam fures captivi, qui forte precibus liberati, promissione facta non furandi amplius, mox eodem die rursum clepere incipiunt, quodquod intolerabilis est, eodem die, quo ad mensam Domini accubuerunt, in cænum suum redeunt. Tales lamento suo deplorat Jerem. Thren. IV. dicens: *Qui nutriebantur croceis, amplexati sunt stercorea*. Mane cum imperatore pransi, cœnant vesperi cum porcis; tollentes membra Christi, faciunt membra meretricis; uti I. Cor. VI. ait. Apost. sanct. Bernar. vero declam. de bonis deserti: *Præstantissimum sæculi pretium in sterquilinum projiciunt*. Demergendus est hic affectus cum Pharaone in profundum maris, ita ut non appareat amplius.

II. Fuit Amalec, rex Amalecitarum, qui primus in deserto occurrit Hebræis et pugnavit contra eos, Exod. XVII. Sed oratione Moysis et gladio Josue deletus est. Amalec *Populus tingens*, aut *devorans* exponitur secundum Hier. in Isa. nec male, quia postremos agminis cecidit et, quasi devoravit, Deut. XXV. et significat eos qui in confessione jamjam enuntiatum aliquid grave peccatum, quod fere ad finem confessionis differunt, (unde consultius est graviora præmittere) quasi lingendo resorbent, devorant et tacent. Nota est historia ex Joanne Juniore Dominici ord. de muliere, quæ ejectis in confessione bufonibus ad finem majorem omnium resorbuit, unde cæteri per ejus os regressi omnes sunt. Et scimus ex Act. V. morte subita plexos divinitus Ananiam et Sapphiram, qui partem agri venditi tacuerunt sibi reservarunt. Quos S. August. serm. XXVII. de verb. Apost. et S. Basilius serm. I. de instit. moni putant vitam simul et salutem perdidisse, ac licet alios salvatos velint, satis tamen terribile est, quod morte interierint dubia et subita. Certe hoc timorem omnibus incussit, ut ibi dicitur. Refert Cyrillus Jerosolymit. in epist. (quæ est inter epistolas S. August. et Marulus. l. VI. c. XIV.) de seipso, quod dum aliquando mæstus oraret, petens judicari a Deo statum Ruffi nepotis sui nuper defuncti, primo senserit fetorem maximum, qui naribus etiam compressis intolerabilis esset; tunc ipsum Ruffum conspexerit catenis ferreis candentibus cinctum, flammam evomentem et toto corpore scintillantem. Ter